

falsa pulpam habent duriusculam, quam auferunt, sinistra tenentes radicem, ad quam alligantur, dextra vero caput arripientes: quod posteaquam contorserint, pulpam a theca extrahunt, ut ambiens corpus relinquatur vacuum calami modo. Pulpam autem quae inde egressa est, lumbrici modo oblonga, rubra, teres, aceto piperato maceratur ac mandiditur, Archigenes quoque apud Galenum stomachicis convenire scribit.

Differentiae.

Differentiae et Genera eorum recensentur aliquot. Sunt 1. *Majores*, quos ex Rondeletio superius descripsimus. 2. *Minores*, qui nascuntur in saxis et rimis navium, quae diutius immotae uno in loco manserunt. Adnascuntur etiam mytulis. Striatae sunt, foramen habent, e quo veluti frondem emittunt, multae simul nascuntur. Intus parum carnis continent, et parvae semper manent. 3. *Aegyptii*, qui ad Nili ostia capiuntur, et sunt, teste Athenaeo, dulces, teneri, ori grati, copiosi nutrimenti, multi succi, diuretici, et solvunt album. Aldrovandus etiam quosdam exhibuit, interque hos, multos modice rubescences, simul adnatos; a Gigante sibi communicatos, eosque striatos; Ostraceum quoddam, quod

merito polyceps dici possit, quoniam veluti ex multis Balanis compactum est, laeve rubescens, balanum denique sessilem, qui in parte inferna, ubi insidet, maximum habet foramen.

Pholades ἀπὸ τῆς φολᾶς & φολεύειν, Aldrov. l. 3. c. 34. quod in cavernis et latibulis condantur, suum obtinere nomen. Et recte ita in saxis latent, ut iisdemque undique contegantur, per foramen vero exiguum et sensui vix patens, aqua nutriuntur. Missum est, inquit Rondeletius ad me alio ex littore saxum, in quo nullae rimae, nullae cavernae, sed foramina tantum apparebant tam exigua, ut vix aciem admitterent. Eo igitur ictibus multis confrecto, cavitates internae multae erant vario situ, et diversae magnitudinis, in quibus conchas istas reperi. Testis constant duabus longis, non in latum extensis mytulorum modo, sed rotundis. Intus eadem fere est caro, quae in mytulis. In saxorum cavernulis, vel vi vel natura factis, aquae marinae appulsu procreantur, atque in concham vertuntur, quae cavitatis seu foraminis figuram servat. In portu Veneris multae occurrunt.

Nullus earum praeter Athenaeum meminit, qui easdem palato suaves, sed mali succi et virosas facit.

Ufus.

PUNCTUM VIII.

De Solene.

TAB. XV.
Nomen.

Solen Eustathio ἐκ τῆς σέω καὶ τῆς ὅλος σοολήν et per crasin σωλήν, dicitur, Graecis vocatur αὔλος, a canalis sive tubi similitudine, δόναξ, a figura arundinis crassae, concavae, quae Cypria arundo Dioscoridi; Dactylus, ab humanorum unguium similitudine; ὄνυξ denique seu unguis, ab extremis, tenuitate et figura unguibus similibus, vel a testae colore et substantia unguibus nostris non dissimili. Veneti Cappam longam nominant, Bononienſes pisces canellam. In *Cibis* a pauperibus adhibentur. Galenus dura carne esse dicit, et ob id difficulter concoqui, propriumque hoc ipsis et Purpuris, ut refert Niceſius,

Ufus.

quod cum in juscule coquuntur, id crassius reddunt. In ore mandentium relucere Plinius scriptum reliquit. His natura, inquit, in tenebris remoto lumine, alio fulgore clarere, et quanto magis humorem habeant, lucere in ore mandentium, lucere in manibus, atque in solo atque veste, decidentibus guttis, ut procul dubio pateat, succi illam naturam esse, quam etiam miremur in corpore. Splendoris causam glutinoso Solenis succo adscribit Rondeletius, siquidem quae tenacia et veluti glutino compacta sunt, ea laevia, aequalia, ac perpolita esse solent, atque ob id relucetia, *Dispeſcuntur in Mares et Faeminas.*

Illos